QUAEDAM DE MORBO ATRABILARIO VETERUM, ADIECTA MORBI HISTORIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
DIE XXII. M. AUGUSTI A. MDCCCXXVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FERD. GUILELMUS REINHARDT
MOLHUSANUS.

OPPONENTIBUS:
F. SCHMIDT, MED. DR.
E. DE SIEBOLD, MED. DR.
I. LINDENTHAL, MED. DD.

BEROLINI.
FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

PATRI

SUO OPTIMO ATQUE DILECTISSIMO

G. FERD. REINHARDT

HUNCCE

COMMENTARIOLUM

PIO GRATOQUE ANIMO

DEDICAT

AUCTOR.

Scripta veterum medicorum 1) morbi peculiaris, illiusque seminii saepius mentionem faciunt, quem morbum atrabilarium vulgo dicunt. Cum aegroti, morbo illo laborantes, saepius sursum et deorsum deiicerent materiam nigram, quae apud veteres bilis atra (Χολὴ μέλαινα, succus melancholicus) audit, hanc peculiarem humorum intemperiem, morbi causam accusantes, inde morbo nomen dederunt. Humorem illum atrabilarium a iecore, cui sanguificationis munus tribuebant, perversa functione secretum, sensim sensimque humorum et praesertim sanguinis temperiem corrumpere, veterum hac de re erat opinio. Non vere semper atram bilem

1) Hippocr. de morbis lib. II. sect. 71. opp. ed. v. d. Lind. Th. II. p. 92.

pro morboso humore habuerunt antiqui illi medici 1), sed ut van Swieten 2) refert, tnnc tantum, quando vel copia superabat reliquas sanguinis partes, vel secedens ab iisdem in quibusdam corporis locis colligebatur. Neque etiam opinabantur humorem illum semper veram et corruptam bilem esse, quanquam etiam bilis flava in spissam et tenacem nigram materiem degenerare potest, sed atrae bilis nomine designarunt ideo, v. Swietenio 3) auctore, quod plerumque colligitur circa bilis officinam, hepar nempe, vel in illis visceribus, quorum sanguis venosus per venam portarum in hepar redit et bili secernendae praebet materiam. Recentiores medici humorem atrabilarium existere omnino denegarunt, sanguinem in viscera abdominis extravasatum et mora in iisdem corruptum, bilis atrae faciem simulasse, et perperam pro genuino humore morboso habitum esse, contenderunt. Nigricantem et inspissatum talem sanguinem interdum adesse, veteres quoque non

---

1) Hippocr. de natura hominis. Charter. Tom. III. pag. 110.

2) v. Swieten Comment. in Boerh. Aphor. Tom. III. pag. 462.

3) Comment. T. III. p. 463.

fugit. Exstipicia deinde docuerunt, succum illum melancholicum, a sanguine corrupto, longe alienum, revera inveniri, multique scriptores huius rei testes sunt.

Si veterum auctorum morbum atrabilarium exorientem, plane evolutum, cum morbis eius secundariis, peculiarique aegrotorum constitutione, paulisper accuratius recensemus, huncce valetudinis adversae statum ad illud morborum genus pertinere, quod nostri aevi auctores a venositate nimia, seu plethora venosa deducunt, luculenter apparet. Venositas nimia undique hic subest, statusque atrabilarius, ex illa evolutus, gradu tantumodo diversus est. Constitutioni seminium vulgo inhaeret, saepius haereditarium, cui haud peculiaris totius corporis deest habitus. Signa externa, luculenter in conspectum venientia, Puchelt 1) haecce merito affert: colorem aegroti fuscum, e cano nigrum, opacum, luridum, compagem corporis, bene nutriti, strictam, sensilitatem maiorem, vim energicam morbose adauctam, musculorum debilitatem spuriam, nec non eorum torporem. Totius sys-

1) Das Venensystem u. s. w. pag. 289.

tematis arteriosi accedit nimia irritabilitas, pulsus ergo saepius plenus et magnus, ad febres, inflammationes, sanguinis congestiones et stagnationes, morbos imi ventris, infarctus, haemorrhoides, arthritidem, hepatis affectiones, icterum, haemorrhagias e tractu intestinali praesertim, maxima reperitur proclivitas.

Haud raro organorum internorum, quae magis sub systematis venosi imperio, munere funguntur, fabricae vitia occurrunt, cuius phaenomeni causa, impetus sanguinis centrum corporis versus, haud temere consideratur.

Hancce constitutionem variis accedentibus causis et postea acquiri et penitius evolvi posse, inter omnes constat. Vita deses cum victu largo et nutriente, affectus debilitantes et deprimentes, mentis intentio nimis, animi pathemata, lucubratio, moeror, sollicitudines, in venere excessus, cibi austeri, duri, aër valde siccus et calidus etc. praecipue huc pertinent. Morbi diuturni, organis concoctioni inservientibus, simul affectis, praecipue febres intermittentes, diu persistentes, haud raro ansam eius praebent.

Morbi atrabilarii exorientis, ad perfectam eius evolutionem usque signa, fere eadem ac nimiae

venositatis reperiuntur. Magis minusve aegrotus constitutione temperamentoque supra depinctis, excellit. Ab initio sensu valetudinis angorisque incerto cruciatur, languor haud deest, somnus inquietus, congestiones occurrunt caput versus, unde eius dolores, nec non coenaesthesis et mens ipsa aegrotant. Quae symptomata per aliquot interdum instant tempus, imo annos, priusquam morbus formam induat certam. Hocce morbi stadio medela congrua variorum systematum aequalitatem restituere, nostrum est, symptomata alioquin, quod ad copiam, vimque in corpus noxiam, mirum in modum accrescunt.

Primarum viarum praesertim torpent functiones, abdomen intumescit, adeps largius deponitur faciesque aegroti indies luridior et magis evadit tumida, haud simul mens, totumque nervorum systema, morbo vacant.

Impedimenta, sanitati renitentia, vis naturae medicatrix, sibi ipsi commissa, vario modo devincere, temperiemque variorum systematum turbatam, restituere tentat. Saepius congestiones activas nec non motus excitat febriles. Humorum ad corporis superficiem affluxus, nisusque ad excretiones multifarias luculenter apparent. Fe-

bres gastricae, muci profluvia, haemorrhoides, accessus arthritidis regularis, nec non lithiasis, hocce ex fonte emergunt.

Morbi modo allegati, critici haud temere considerantur, crisin vero interdum imperfectam, per aliquot tempus aegroto levamen parantem, adducunt, saepius attamen totum iudicant morbum, constitutionemque ipsam delent. Naturae Scopo, per hasce vias superflua et sibi aliena deiiciendi, haud attincto, conatu eius perperam deducto, vel imo suppresso, causis occasionalibus simul persistentibus, actio organorum centralium adaucta, sponte sua redundat. Resorbendi et assimilandi facultates, unde simul haematopoësis, praecipue vigent. Systematis sanguiferi peripherici actio contra, praesertim vero secretiones retineri solent. Cuius facti argumentum fibram muscularem rigidam, cutem siccam, alvi raras et aridas deiectiones afferre licet. Sanguinis abundantiae, cuius materiae constitutivae etiam mutantur, praecipue favet hicce status. Hydrocarbonio praevalente, minorique oxygenii copia admixta, materiae sanguinis excretitiae accumulantur. Arte nulla adiuvante, materiam istam irritabilitatem et sensibilitatem et excitantem et opprimentem, natura

venis, minus resistentibus committit. Venae igitur talius aegroti sanguine opaco et nigro turgent, pulsus saepe magnus, plenus, tardus, interdum attamen parvus, frequens et oppressus. Sedem morbi primariam systema venae portae praebet; propter valvulas deficientes, ramificationemque venarum peculiarem, humores minimam hic reperiunt resistentiam. Circulo segni, diuturnaque sanguinis, cui iam antea nimis venosi indoles, in vasis imi ventris commoratione, haecce ad maiorem adhuc gradum producitur, qua denique ratione dyscrasia, quam veteres atrabilariam vocant, evolvitur, cuius symptomata varias constituunt aegritudines. Unius eiusdemque causae effectus auctores signa commemorata non semper ducebant. Magnum aegritudinum vomitus niger et alvi fluxus, morbus niger Hippocratis etc. imprimis agmen ducunt. Acute saepe decurrunt, vi naturae medicatrice exortae videntur, levamen fugax afferunt, rursus saepe eadem vi redeuntes, crises semper constituunt ambiguas.

Hocce plethorae venosae genus, hepatis, lienis, pancreatis omniumque organorum intime cum systemate venae portae coniunctorum, infarctus, physconias, fabricaeque organicae mutationes

affert. In dissectione cadaveris, hominis, hocce morbo diu laborantis, postque lapsum cum signis haemorrhagiae internae defuncti, cavum abdominis nigra, tenaci picique simili materia multoque sanguine nigro admixto repletum reperi. Accuratius funus perquirens, huncce humorem e liene disrupto effusum luculenter apparuit. Parenchyma lienis ex toto disparuerat, saccum tantummodo membranaceum, qui hancce materiem continuerat, obtulit. Similis exempli van Swieten 1) mentionem facit. Vitia hepatis fabricae haud raro quoque occurrunt. Parenchymatis adauctio, indurationes, viae internae obturatae ansam exulcerationis hepatis praebent.

Calculi fellei, icteri redeuntis causa, saepius exoriuntur. In ductum choledochum protrusi cardialgias, colicas, vomitum cum summa anxietate producunt. E ventriculo tuboque intestinali, vomitu alvique deiectionibus removentur. Propter intimum totius systematis nervosi cum imi ventris organis commercium, dyscrasia atrabilaris, affectionibus partium illarum, mixtione sanguinis

---

1) Comment. Tom. III. p. 463.

perpera, varios systematis nervosi affectus producit, qui vel ad coenaesthesin, vel ad mentem referuntur. Hypochondria et Hysteria ex consensu prodeunt, et Hippocrate auctore melancholia et mania, quarum causa materialis hisce in casibus praecipue in conspectum venit, praecipuamque medelae indicationem praebet.

Ill. Harless 1) nuper morbum atrabilarium in systemate nosologico generi Melanosium adnumerans, tanquam varietatem Melaenae haemorrhoicae hepatico — intestinalis et mesentericae recensuit. Divisio haecce praesertim locum affectum spectat, morbus igitur cum evidentiore iecoris affectione, atrabilarius audit, si vero tractus intestinorum prae ceteris visceribus aegrotat, melaena intestinalis strictius sic dicta etc. Auctor vero ipse hancce distinctionem; a potiore organi cuiusdam affectione desumtam, incertam esse monet, quod in morbi progressu hoc discrimen penitus saepe aboletur. Has igitur affectiones non seiungendas esse puto, veteres etiam medici, modo liene, modo intestinis, modo

---

1) Hndb. d. ärztlichen Clinik Bd. 3.

hepate, sedem morbi constituentibus, communi morbi atrabilaris nomine eas designarunt.

Saepe quidem symptomata quaedam maiorem visceris cuiusdam affectionem indicant, sed in sequentibus morbi stadiis evanescuut interdum, aliisque locum cedunt. Si ab initio morbus praesertim hepar occupabat, deinde nonnunquam lien magis affectum videtur, vel symptomata mixta, utrumque organon pari modo aegrotare, arguunt. Mali focus si in hepate est, hisce praecipue symptomatibus morbus incedit: 1) in regione hypochondriaca dextra tumor animadvertitur, haud raro sinistram usque vergens, aegroti queruntur de sensu ponderis atque doloris in hac parte, qui tactu augentur; reliqua symptomata simul haud desunt, quae vulgo iecoris affectionem comitari solent, cutis nempe color sordidus, excrementorum aliena species, urina bile tincta, aliaque. Liene praecipue a morbo correpto, praeter symptomata dyscrasiae atrabilaris generalia, dolor, tumescentia etc. in sinistra abdominis parte percipiuntur atque augentur, si in dextrum latus decumbit aeger, accedunt ructus, salivae profluvium, sputa mucosa, et iam Hippo-

1) Puchelt l. c. p. 262.

crates 1) quibus sanguis saepius ex naribus fluat, his splenem in tumorem elevatum esse, ait. Gingivarum etiam mala conditio, ulcera et fissurae manuum pedumque, lienis morbum indicare dicuntur. Pancreate prae ceteris affecto, tumor infra ventriculum et in regione hypochondriaca sinistra est, dolor et sensus ponderis praecipue in praecordiis sentiuntur, post coenam saepissime ructus acidi, nausea et vomitus ipse accedunt.

Morbi historia.

Scopo meo respondet morbi historiam Carolinae M., foeminae triginta sex annos natae, adiungere.

Corpus eius bene fuit nutritum, solidorum compages stricta atque torosa, cutis color luridus et ex flavo viridis; temperamento excelluit melancholico-cholerico. Iusto tempore menses fluere coeperunt, deinde iam XVI aetatis anno nupsit viro, pluries gravida erat et partu difficili peperit. Eo ipso tempore quo per quatuor menses uterum gessit, terrore ingenti lapsuque ad partum doloribus

---

1) Praedict. L. II. C. 16.

provocatis, abortum fecit, quem secuta est immodica uteri haemorrhagia. Diarrhoea deinde puerpera laboravit, qua remediis haud idoneis denique sedata, alvus pertinaciter clausa est.

Ex eo inde tempore mensium accessit anomalia tum quoad tempus, tum etiam sanguinis excreti copia diminuta est. Haemorrhoides exinde profluentes, incommoda ex mensibus suppressis orta, per aliquot tempus levarunt. Deinde vero cum haemorrhoidum fluxus desiisset praecordia tumescere coeperunt tactuque dolebant, praesertim in regione hepatis, alvus plerumque adstricta erat, faeces siccae, albidae et bile non tinctae, nonunquam alvus deiecit sicca, rotunda, atro quodam biliosoque circumfusa, interdum accessit icterus, praegressa praecordiorum anxietate.

Haec cum per aliquot tempus aegrae conditio fuisset, praecordiorum dolores et anxietates graviores evaserunt, deinde oborta nausea, vomitu difficillimo mucum bili immixtum et calculos quosdam felleos reiecit, deorsum exiit materia nigra atque tenax, urina parca erat, sed coloris valde opaci. Vomitus aliaque symptomata sensim sensimque desierunt, sensu formicante in artubus exorto. Sed aliquo tempore interiecto, omnes aegritudinis

molestiae miseram denuo accesserunt, eamque thermas Carolinas petere, permoverunt.

Fontium usu interno multi calculi fellei aeque ac magna materiae nigrae copia, cum ingentibus totius corporis perturbationibus reiiciebantur. Simplicissimi istius remedii vi forsitan in imi ventris aegrotae nostrae organa debilitata, nimiae, pro parte adscribendum mihi videtur, quod ex eo tempore vomitu chronico diu laboravit, nec non maniaca evasit.

Haec omnia ex anamnesi eluxerunt. Quae nunc vero referam, ipsa aegrotae accurata observatio me docuit.

Aegrota in scholis nostris clinices medicae recepta, nullum ciborum appetitum ostendit, sapor oris amarus, sitis vehemens, abdomen ubique tumens satisque tensum, praesertim in regione hypochondriaca dextra, digitis explorantibus hepar volumine auctum et arcum costarum excedens apparuit. Tactus praesertim in regione vesicae felleae, permagnos excitavit dolores et ructus continuos, alvus pertinacissime obstructa erat, urina solito pallida. Saepius accesserunt dolores colici cum borborygmis, qui demum ructibus flatibusque leniebantur. Nonnunquam pyrosis aderat, quam ita

aegrota descripsit, ac si prunis ureretur. Conquerebatur de magna debilitate et dedolatione, partes extremae ad motum inertes, formicatione correptae, quasi semiparalyticae, pedes semper frigidi.

Interdum supervenit plenitudinis in pectore sensus, cum angore et spirandi difficultate, deinde cephalalgia cum vertigine tenebricosa, baryeceua cum aurium susurru et tinnitu, interdum levius animi deliquium, quae omnia epistaxi orta mitigabantur, interdum etiam exigua haemoptysi. In plurimis corporis partibus, praesertim autem in artubus inferioribus, saepius oriebantur maculae e viridi lividae et contusionibus similes, paulo post sponte evanescentes. Cutis plerumque sicca, sudores exigui et fere nulli. Praeter haec quae modo adnotavi symptomata, aegrota doloribus laboravit vagis, modo hanc, modo illam occupantibus partem. Infimo nempe ventre attacto, colica sui generis provocabatur, humerum interdum, praesertim dextrum tenebant, saepius dextram capitis partem. Interdum aderat odontalgia cum salivae profluvio; dysphagia tussique spastica saepissime vexabatur. Aegrotae doloribus occupatae pulsus

exiles, contracti, et retardati, alioquin sat frequentes, magni, pleni et irritati erant.

Quovis redeunte cataneniorum tempore, ad unum fere omnia symptomata magis urgebant, praesertim congestiones ad superiores corporis partes auctae, vertiginem tenebricosam effecerunt, imo interdum hallucinari videbatur aegra. Menstruus fluxus exiguus nihil attulit levaminis, sed apta medendi methodo symptomata leniebantur. Alvus fere nunquam sponte et cum summis doloribus solvebatur, interdum sanguis ater et tenax excretus.

Ad medendi methodum, cum successu, dum aegra curae nostrae commissa erat accuratius recensendam nunc transeam. Omnia quae antea aegrota erat perpessa et plurima quae nunc aderant symptomata, totus aegrae habitus, color faciei, quem vulgo abdominalem dicunt, tumor abdominis, praesertim hepatis, icterus intercurrens, alvi obstructio pertinax, materiae nigrae sursum et deorsum deiectio, qua saepius laboraverat, menstrua solitis parciora, anxietas praecordiorum, congestiones in superiores corporis partes, satis methodum solventem indicabant. Magna vero aegrae irritabilitas, congestiones activae, pulsus pleni et

saepius febriles illam postulabant medicaminum speciem, quae solventia antiphlogistica audiunt. Aegrotae igitur porreximus Kali tartar. cum Extr. Taraxaci, simul Infusum theiforme similes species continens, ac species pro decocto florum et fructuum Augustanorum, quae magnam olim adeptae erant gloriam. Ad illiniendum abdomen adhibitum est Oleum Hyosc. cui deinde Liq. ammon. caust. addidimus. Affectionibus adauctis nervosis, doses quasdam Asae foetidae in Liq. ammon. succin. solutae in usum vocavimus; alvus enematibus aptis ducta est. Simul victus rationem, medendi methodo consentaneam praescripsimus.

Menstruum fluxum suo tempore adiuvimus remediis idoneis, Tartar. borax., Ammon. muriat. depur., pediluviis etc. Interdum hirudines femoribus applicatae. Hac medendi methodo per aliquot tempus adhibita, magna aegrotae irritabilitas diminuta apparuit, pulsus pleni quidem, sed non irritati erant, congestiones, superiores partes versus remittebant, dolores in regione hepatis minores. Quare nunc remedia solventia fortiora, adhibenda esse censuimus, pilulae ergo ex Amoniaco, sapon.

stibiat., et Extr. Gratiolae, simul in usum vocavimus enemata visceralia.

Haec vero remedia per breve tantummodo tempus aegrota nostra sine incommodo pertulit, deinde vero systematis sanguiferi irritationem maiorem efficere coeperunt, coniestiones caput versus denuo apparuerunt, et interdum hallucinationes animadvertendae erant. Quae cum ita essent haecce deseruimus medicamina. Magnes. sulphur. aliisque derivandi causa remediis aegrotae porrectis ad priorem, quam persecuti fuimus medelam, redivimus, quam in posterum etiam paucillis tantummodo mutatis tenuimus.

Remediorum modo allegatorum usu rite continuato, ut dolores intumescentiaque abdominis minuerentur, alvus quanquam rarius, sponte duceretur, et excreta meliorem induerent speciem, nobis denique contigit. Pulsus exinde minus pleni et aequales evasere, congestiones caput versus nullae amplius, menstuus fluxus copiosior, color cutis sordidus in meliorem versus, et aegrota nunc laetiori gaudet animo.

Epicrisis.

Variis aegrota nostra laboravit aegritudinibus, ex uno eodemque fonte, ut opinor proficiscentibus, quem morbum atrabilarium nominare non dubito. Seminium hunc ad morbum heriditarium habuit e quo deinde, potentiis nocentibus aptis accedentibus, morbus processit. Pater enim arthritide et haemorrhoidibus laboravit, et iam antequam aegrotaret corporis habitu supra descripto et temperamento melancholico-cholerico foemina excelluit. Quod ad causas occasionales attinet tres praesertim nobis sese offerunt, tam in mentem quam in corpus aegrotae vim suam exercentem. In prioribus vitae annis rebus familiaribus felicissimis aegra gavisa est, deinde autem variis fortunae discriminibus iactata, aerumnis et molestiis miserrima succubuit. Luctui hac ex causa de pristina laeta fortuna indulgens, aerumnisque de tempore futuro agitata in dies magis magisque melancholica mens evasit. Altera causa, terror nimirum lapsusque, qui abortum et metrorrhagiam provocabant corpusque valde labefactabant. Abortu facto, mensium fluxus, qui copiosus et regularis antea fuerat, irregularis nunc et parcus permansit. Inter om-

nes enim constat, catameniis profluere desistentibus, venositatem adaugeri 1), mulieresque hoc tempore multis obnoxias esse morbis, hancce causam modo laudatam agnoscentibus.

Morbose mensibus suppressis, omnia eadem se habent ratione. Haec igitur causae et aliae fortasse adhuc, quas investigare mihi haud contigit, seminium adiutantes, morbo originem dederunt.

Solitae mensium fluxu excretionis defectu, quantitatem sanguinis venosi, multis materiebus alienis et excernendis impraegnati, adaugeri merito ratiocinari licet. Haemorrhoides, quas deinde fluentes habuit, naturae medicatricis, materiam alienam promovendi, temperiemque restituendi conamina, satis perspicue arguunt. Quae vero conamina arte non adiuvante eaque dirigente, inania erant, per breve tantummodo temporis spatium aegrotae quid levaminis afferentia. Plethora venosa, magis magisque increscens, organis imi ventris, magna venarum congerie munitis, hepati imprimis vero inimica, sensim sensimque

---

1) Puchelt l. c. pag. 24.

intumescentiam huius visceris dolentem adduxit, cuius vi hostili functiones laesae, bilisque secretio vitiata evaserunt. Morbo procedente, calculi exoriebantur fellei, icterum periodicum producentes et in transitu per ductum choledochum cardialgias cientes colicasque ictericas. Primae viae, tam plethora affectae abdominali, quam ob iecoris morbum, modo naturali egentes bilis incitamento, modo ab humore isto corrupto inundatae functionibus fuis rite stare non poterant. Ex quo fonte ergo alvi obstructio pertinax, excrementorum mala species, quae interdum bile omnino non tincta, interdum felle circumfusa erant, aliaque denique symptomata.

Sanguinis dyscrasia atrabilaria tali modo in dies magis exculta, materiae istius nigrae, sursum et deorsum deiectione sese manifestavit. Motus febriles, nonnunquam accedentes, congestiones, saepius epistaxin et haemoptoën provocantes, partim a sanguinis in imo ventre impedito circulo, partim a vi naturae medicatrice excitatas, mihi persuasum habeo.

Corpore tali modo a morbo vexato, nervorum systema per consensum aegrotabat. Dolores enim totius fere corporis spastici, praecipue in

collo, deglutitionem impedientes, nec non in facie cum salivae ex ore profluvio iuncti, extremarum partium formicatio, urina pallida aliaque, affectiones luculenter hystericae, apparuere. Mulierem denique melancholicam et maniacam fuisse haud mirum nihilque novi videtur, cum a χολή μέλαινα melancholia nomen duxerit, et atra bile vexatos mente alienari, quosdam etiam insanire, divus iam Cous observatione compertus est.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego Ferdinandus Guilelmus Reinhardt, Thuringus, die IV m. Iunii anno MDCCCIV Molhusae natus sum. Patrem veneror Godofr. Ferd. Reinhardt, Med. Dr. etc. et matrem Dorotheam, e gente Kessler. Prima literarum rudimenta mihi tradidit avunculus dilectissimus Giseke, sacrorum antistes. Deinde usque ad annum MDCCCXXII gymnasium urbis patriae frequentavi; testimonio maturitatis adepto, m. Octobre Göttingam me contuli, ut medicinae operam navarem. Ibi ab Ill. Bergmann, t. t. prorectore, civium academicorum numero adscriptus, his quidem scholis interfui: Cel. Close de encyclopaedia et methodologia medica, Ill. Schulze de logica et encyclopaedia phi-

losophica, Ill. Maier de physice experimentali, Cel. Bartling de botanice, Ill. Blumenbach de historia naturali, de physiologia, de anatome et physiologia comparata. Ill. Stromeyer de chemia experimentali et de pharmacia, Ill. Hempel de osteologia et Syndesmologia, Ill. Langenbeck de anatomia, Ill. Krause de materia medica et arte formulas medicas concinnandi. Ill. Conradi de pathologia et therapia universali et speciali, Ill. Himly de ophthalmologia. In arte dissecandi cadavera me instiuerunt Ill. Langenbeck et Hempel. Mense Octobre anni MDCCCXXIV hanc almam literarum sedem adii, et Rectore mangnifico, Ill. Rudolphi et ordinis medici, Decano Ill. Link d. II. Nov. in studiosorum numerum receptus sum, et hic audivi: de arte obstetricia Ill. de Siebold, de chirurgia Ill. Rust, de therapia speciali Ill. Horn, de Aciurgia Ill. Graefe; interfui scholis clinices chirurgicae et ophthalmiatricae Ill. Rust, obstetriciae Ill. de Siebold. Ill. Iüngken me instituente, cursum operationum, ad ophthalmiatricen spectantium perfeci. Perillustr. denique Berends, Hippocratis aphorismos facundia, qua solet maxima latino sermone explicantem, audivi. Nec non praelectionibus eius de semiotice pathologica, maximo cum gaudio

interfui; praeceptore denique, longe mihi dilectissimo non duce tantummodo ad aegrotorum lectos usus sum, sed amanuensem me elegit, cui muneri non sine maximo fructu per annum unum praesum. Dignissimi praeceptoris in me meritorum nulla unquam memoriam delebit aetas.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Vomitus magis contractione ventriculi exoritur, quam diaphragmatis et musculorum abdominalium pressione.

II.

Errant, qui inflammationis causam proximam in spasmo arteriarum ponant.

III.

Venis inest vis resorbendi.

IV.

In mittendo sanguine non tam annos medicus numerare, quam vires aegrotantis aestimare debet.